





Q. D. B. V.  
DISSERTATIO IVRIDICA

DE  
ACTIONVM CONCVRSV  
SVCCRESSIVO

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO  
ERN. AVG. CONSTANTINO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE  
MONTIVM ANGARIAE ET WESTPHALIAE REL.

CONSENSV ILLVSTRIS FACVLTATIS  
IVRIDICAE

SVB PRAESIDIO  
ACHAT. LVDOVICI CAROLI SCHMIDII  
IVRIS VTRIVSQVE DOCTORIS

DIE XI. MENSIS AVGVSTI A. O. R. MDCCCLIII.

ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

ERN. CHRISTIANVS AVGVSTVS SCHEVERMANN.  
MOENO WERTHEMIENSIS, IVRIS CVLTOR.

---

IENAE, LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

~~410~~  
1753, 16  
1640  
21  
—

Q. D. E. V.  
DISSERTATIO IURIDICA

DE  
ACTIONUM CONCURSU  
SUCCESSIVO

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI  
ERN. AUG. CONSTANTINO

DUCE SAXONIAE IULIACI CIVITAE  
MONTIVM ANGARIAE ET WESTPHALIAE BEL.

CONSENSU ILLUSTRIS FACULTATIS  
IURIDICAE

SUB PRÆSIDI  
ACHAT. LADOVICI CAROLI SCHMIDII

IURIS UTRIUSQUE DOCTORIS  
DIE XI MENSIS AUGUSTI A. O. R. 1800

EXAMINIS SUBMITTIT  
ERN. CHRISTIANVS AVGVSTVS SCHEVEMANN.

MORNO WERTHEMERS, IURIS CALTOR.

LENAE, LITTERIS TIECKESCHENIANIS.





Q. D. B. V.  
DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
ACTIONVM CONCVRSV  
SVCCESSIVO.

ARGVMENTVM.

- §. I. regula, quæ ad omnes successivæ concurrentes actiones applicanda.
- §. II. quinque classes successivæ concurrentium actionum recensentur.
- §. III. ad primam classis pertinentes actiones.
- §. IIII. ad alteram referenda remedia.
- §. V. tertia classis sequitur.
- §. VI. in quarta classe successivæ concurrunt a) actio ex primo & ex tertio capite legis Aquiliæ.
- §. VII. b) ex lege Aquiliæ & reliquæ personales.
- §. VIII. neque non c) actio de pauperie & adilitia in duplum d) furti nec manifesti & vi bonorum raptorum, e) hæc & ex lege Aquiliæ.
- §. VIII. ulterius d) actio ex lege Aquiliæ & iniuriarum e) actio arborum surtim casarum, ex lege Aquiliæ & interdictionum unde vi aut clam.
- §. X. denique f) Actio ex lege Aquiliæ & rei vindicatio g) prior & hereditatis petitio h) actio emti venditi & ex stipulatu, quedam aliæ.
- §. XI. ad quintam classis spectat a) actio adilitia & de pauperie & b) actio ad exhibendum, conductio furtiva & actio furti.
- §. XII. ratio cur successivæ concurrentes actiones iuxta seriem iuris ab obiecto desumpti recensere velimus.
- §. XIII. actiones ob ius reale successivæ concurrentes.
- §. XIII. actiones ob ius personale immediate ex lege & ex factio licito successivæ concurrentes.
- §. XV. actiones denique ob factum obligatorum illicitum successivæ concurrentes.

\* 2

§. I.



§. I.

**E**x definitione concursus successiui (Sect. I. §. VIII.) suppeditata sequentis regulæ patet veritas, *quam diu actor ius suum plenarie haud consecutus, una ex successiue concurrentibus actionibus electa ad reliquas patet refugium.*

§. II.

Omnes successiue concurrentes actiones ad *quinque classes* referri posse, nobis videtur, quae a *diuersitate causae* actorem mouentis, quo magis ad idem ius obtinendum, diuersis vtatur actionibus, petuntur, quarum 1) *quia natura remedii excludit eiusdem repetitionem,* 2) *quia agens ex vna causa remota ad obtinendum ius suum directa, repulsam tulit,* quippe quo casu ad aliam causam remotam eiusdem iuris patet regressus, modo actor eas in libello expresserit. a) 3) *quia quaelibet concurrentium actionum habet commoda, quae alteri non competunt,* vbi tamen actori in posteriori sententia omne id deducitur, quod ex hac per priorem iam consecutus est, vel 4) *quia vna tantum habet praerogatiuas prae altera,* ideoque si haec prius instituta, ad illam vtiliter sumitur regressus, non vero vice versa. Denique 5) ideo nulla ex concurrentibus omitti potest, si actor totum ius suum obtinere vult, *quia in vnaquaque actione illam partem iuris sui consequitur, quam per alterum remedium obtinere nequit.*

a) l. II. §. 2. ff. de except. rei iudic. conf. BERGER Oecon. iuris lib. III. tit. XV. §. 2. not. 2.

§. III.

Ad primam classin successiue concurrentium actionum (§. pr. num. I.) pertinet concursus *iudicii familiae*  
ercis-



*erciscundae & de communi diuidendo.* Prior enim actio semel tantum vnius hereditatis intuitu institui potest, b) quod si vero quaedam res hereditariae indiuisae manserint, haud denegatur iudicium de communi diuidendo c) ne focii inuiti manere debeant in commu-  
nitione.

b) l. 20. §. 4. ff. *famil. ercisc.* conf. STRVV. *exerc. XV. tb. 15.*

c) cit. l. 20. §. 4. l. 44. pr. ff. *fam. ercisc.* & l. 4. §. 2. ff. *comm. diuid.*

### §. III.

Nec desunt remedia successiue concurrentia, quae ad alteram sectionem (§. II. num. 2.) referri merentur, quale quid obuenit in actione *sortis principalis*, ex qualicunque obligationis fundamento orta fuerit, & in actione *de constituta pecunia*. d) Quamuis enim vna per litis contestationem electa sit, altera tamen exclu- di nequit, nisi ob rei perceptionem. e) Plures casus adducere haud lubet. f)

d) RICHTER *de conc. act. cap. III. num. 14.*

e) l. 18. §. vi. ff. *de pecun. constit.* conf. STRVV. *exerc. XVIII. tb. penult.* HILLIG. *ad DONELL. lib. XXI. cap. III. lit. d. p. m. 723.* & WESENBECIUS *num. ult. tit. de pecun. constit.*

f) in promptu erunt ei, qui euoluit l. 28. §. 14. ff. *de liberat. legata* l. 93. §. 1. ff. *de legatis* III. l. 18. ff. *de oblig. & act.*

### §. V.

Sequitur *tertia classis* actionum successiue concurrerentium. (§. II. num. 3) Ex actionibus successiue concurrerentibus, quarum quaelibet sua habet commoda, aut vti alii Doctores loqui amant: quaelibet actio habet aliquid plus & minus quam altera, ff) nobis innotescit actio *pro socio & de communi diuidendo*, g)

\* 3

nomi-

nominum habetur ratio, non in illa. h) Actio de communi diuidendo iterum superat actionem pro socio, quod illa, non aequae haec rerum extra societatem communium diuisiones & adiudicationes admittrat. i) Illud vere, quod per vnam actionem quis consecutus est, per alteram aequae obtineri nequit. k)

f) RICHTER c. *dissert. cap. III. num. 10.*

g) l. 13. ff. *pro socio.*

h) l. cit. 43. ff. *pro socio l. 4. pr. ff. communi diuidendo.*

i) l. 1. & 2. pr. ff. *com. diu. conf. s. r v v. exerc. XV. apb. 19.*

k) arg. l. 51. in fin. ff. *de re iudicata* & l. 57. ff. *de Reg. Iur. conf.*

RICHTER cit. loc. num. 13.

§. VI.

Ad quartam classin actionum successiue concurrentium (§. II. num. 4.) spectat a.) actio mixta ex capite primo legis Aquiliae, quanti res intra annum plurimi fuerit & ex capite tertio eiusdem legis, quanti intra triginta proxime elapsos dies plurimi fuerit: 1) si ob seruum vulneratum ex tertio capite actum fuerit, hic seruus vero paulo post ex eodem vulnere moritur, ex primo capite agere licet m) ne tamen actor plus consequatur, quam ab initio ob occisum seruum obtinere potuisset n.)

1) l. 2. pr. & l. 17. §. 5. ff. *ad legem Aquilianam.*

m) l. 45. ff. *ead.*

n) l. 47. ff. *ead.*

§. VII.

Nec minus ad hanc classin pertinet ß) actio ex lege Aquilia & reliquae personales. Ita 1) si depositarius documentum depositum ea ratione maculauerit, vt legi amplius non possit, actio depositi & ex lege Aquilia successiue concurrunt o) quid quod etiam in re oppignorata aut re commodata corrupta concursus successiuus 2) actionis pigno-



*pignoratitiae* aut *commodati* & *legis Aquiliae* corruptionis  
 causae locum inuenire vix dubitamus p) & clarius con-  
 stat 3) de concursu successiuo actionis *pro socio* & *legis*  
*Aquiliae*, si socius rem communem corruperit. q) Aliud  
 exemplum, quod huc referri meretur, 4) est *actio de*  
*calumniā* & *condictio ob turpem causam*, quando aliquid da-  
 tur, ne danti inferatur calumniā. Hoc enim casu per  
 conditionem ob turpem causam repetitur illud, quod  
 datum est, & per actionem de calumniā insuper triplum  
 consequitur. r) In omnibus hisce concurrentibus re-  
 mediis actor contentus esse debet, si pinguiori actione  
 ius suum consecutus est. s)

o) l. 42. ff. *ad leg. Aquil.*

p) arg. l. 18. §. 1. ff. *commodati* l. 1. §. 16. ff. *depositi* l. 34. §. 2. ff.  
*de oblig. & act. conf.* RICHTER cit. cap. III. num. 81.

q) l. 47. §. 1. ff. *pro socio* iuncta l. 48. eod.

r) l. 5. §. 1. ff. *de calumniat.* iuncta l. 7. §. 1. ff. *commodati vel*  
*contra* & l. 42. §. 1. ff. *de oblig. & act.* confer. CUIACIUS  
 lib. VII. obseru. 24. & STRVV. exerc. VII. aph. ult. n. 1. vbi  
 simul responder ad textus obstantes.

s) l. 7. §. 1. in fin. ff. *commodati vel contra* & l. 34. §. 2. in fin. ff.  
*de Oblig. & Action.* de aliis pluribus actionibus mixtis & rei  
 persecutoriis personalibus testatur l. 43. ff. *locati conducti* l. 27.  
 §. 11. & l. 48. ff. *ad leg. Aquil.*

§. VIII.

Ab hac quarta classi actionum successiue concur-  
 rentium excludi nequit 3) *actio de pauperie* ad noxae de-  
 ditionem aut aestimationem atque *actio aedititia in duplum*,  
 si per animal nociuum in loco, quo vulgo iter fit  
 damnum aestimabile est illatum. t) Neque non hanc  
 classin auget 4) *actio furti nec manifesti* & *vi bonorum*  
*raptorum*



raptorum. Si enim contra furem qualificatum prior in duplum fuit instituta, actio vi bonorum raptorum ad huc locum habet, quatenus plus in hac quam in illa obrinetur. v) Augent hanc actionum successiue concurrentium classin e) *actio vi bonorum raptorum & legis Aquiliae*, si raptor rem raptam deteriore efficit & illa, quae post alteram instituitur, pinguior est. x)

t) §. 1. Inst. *si quadrup. paup. sec. dic.* verbis: *ceterarum vero rerum, quanti damnum datum sit, dupli & l. 42. in fin. ff. de aedil. edicto vbi: ceterarum rerum, quanti damnum datum factum sit, dupli, conf. RICHTER cit. dissert. de concursu act. cap. llll. num. 137. seqq.*

v) l. 1. ff. *vi bonorum raptorum l. 38. ff. de furtis.*

x) l. 2. §. 10. ff. *vi bonor. rapt. & WESENBECK. ad eund. cit. num. 8.*

#### §. VIII.

Classis quarta actionum successiue concurrentium ad huc augetur ?) per *actionem ex lege Aquilia & iniuriarum*, quando actoris seruus iniuriose verberatus y) n) per *actionem arborum furtim caesarum ex LL. XII. Tabb. z) ex lege Aquilia a) interdictum quod ui aut clam b) ex LL. XII. Tabb. ad viginti quinque asses* in singulas arbores, ab eo praestandos, cui corruptio earum imputari potest c) ita vt hae actiones ad vnam omnes successiue praebent vsum, d) si leuior prius instituta est. e)

y) l. 5. §. 1. ff. *ad leg. Aquil. l. 34. pr. ff. de oblig. & act. & l. 25. de iniur.*

z) l. 1 & 7. §. 6 ff. *arbor. furtim caesar.*

a) l. 1. & l. 11. *cod.*

b) cit. l. 11. *cod.* & l. 28. §. 6. ff. *de iureiur.*

c) BERLICH *concl. pract. lib. V. concl. LII. n. 2. & ibi cit. scriptores.*

d) l. 32.



d) l. 32. ff. de oblig. & act.

e) l. 1. 7. & 11. ff. arbor. furtim caes. & l. 41. §. 1. ff. de oblig. & act.

### §. X.

Ulterius ad quartam classim actionum successiue concurrentium pertinet 9) actio ex lege Aquilia & rei vindicatio, si malae fidei possessor rem alienam deteriore fecit f) & si damnum iniuria illatum est rei hereditariae ab eiusdem malae fidei possessore, successiue concurrunt 1) hereditatis petitio & actio ex lege Aquilia g) & 2) actio emti venditi & ex stipulatu ad id, quod pluris auctori interfuerit in actione emti, quam in poena stipulatione determinata h) item 3) actio pro socio & ex stipulatu, si in poena stipulata minus est, quam in eo, quod interest. i) Neque 4) per conditionem furtiuam omnino tollitur actio vi bonorum raptorum k) aut 5) per eandem conditionem extinguitur actio ex lege Aquilia l) plures actiones successiue concurrentes quae ad hanc classim referendae essent, haecenus inuenire haud potuimus. m)

f) l. 13. ff. de rei vindicat.

g) l. 36. §. 2. ff. de hered. petit.

h) l. 28. ff. de act. emti venditi,

i) l. 42. ff. pro socio.

k) l. penult. ff. vi bonor. raptor.

l) l. 2. §. 3. ff. de priuatis delictis.

m) equidem EGGELING diss. de conc. & cumular. act. c. III. num. 13. RICHTER diss. de concursu act. n. 115. seqq. & ibi laudati Doctores in ea sunt haeresi, quod actio tutelae & de rationibus distrabendis ac dispungendis eo modo successiue concurrant, vt ad hanc quartam classim pertineant; sed earum sententiam l. 1. §. 21. ff. de tut. & rat. distrab. contrariari, nobis videtur

\*\*



videtur, vbi: *sue tutelae fuerit actum, de rationibus distra-*  
*bendis agi non potest: siue contra: quod ad speciem istam perem-*  
*ta est.*

§. XI.

Ad *quintam classem* successiue concurrentium actio-  
num (§. II. num. 5.) nostra se vergit oratio, vbi illarum  
fieri debet mentio, quarum quaelibet ita comparata,  
vt per eam partem iuris sui consequatur, quam per al-  
teram obtinere non potuit. Huius tenoris videtur, a) *actio aedilitia*, quae poenalis est atque *actio de pauperie*:  
si quis contra prohibitionem edicti Aedilium curulium  
animal nocens in loco, quo vulgo iter fit, habet, ita,  
vt homini libero damnum fuerit illarum, non solum  
actione aedilitia ad poenam, sed actione quoque de pau-  
perie ad noxae, quod pauperiem fecit, deditionem agere  
licet. n) Porro si quis cæciderit arbores easue lucri fa-  
ciendi causa contrectauerit ß) *actio ad exhibendum & con-*  
*dictio furtiua* cum *actione furti* successiue concurrunt. o)

n) §. 1. Inst. *si quadrup. paup. fec. dic.* conf. STRVV. *exerc.* XIII.  
*apb.* 15.

o) l. 8. §. 2. ff. *arbor. furtim caesar.* conf. WESENBEIVS ad cit.  
*tit. num.* 5.

§. XII.

Operae pretium videtur, vt actiones successiue con-  
currentes, quarum hac sectione facta fuit mentio, recen-  
seantur secundum actionum genera, quae ab obiecto iu-  
ris, quod actor persequitur, petuntur. Hocque eo  
magis consilii esse nobis videtur, quia in praecedenti se-  
ctione electiue concurrentes eodem ordine cum lectore  
erudito communicatae fuerunt. Singulas ideo percur-  
ramus actionum species supra (Sect. II. membr. I. §. VII. &  
membr. II. §. VIII.) enumeratas, vbi actiones successiue  
concurrentes nobis obuenerunt.

§. XIII.



§. XIII.

Illi, cui competit *ius reale* (Sect. I. §. VII.) si ad *diuisionem* *communione agit*, successiue concurrunt actio de communi diuidendo & familiae erciscundae. (§. III.) nec non prius iudicium & actio pro socio (§. V.) 2) ob *dominium solitariu* rei vindicatio successiue concurrunt cum actione ex lege Aquilia (§. X. lit. g.) 3) ei, cui *aliquid oppignorat* est non nunquam competit actio pignoratitia & legis Aquiliae (§. VII. num. 2) 4) ei, qui ad *diuisionem hereditatis* agit, suo ordine tribuitur iudicium familiae erciscundae & communi diuidendo (§. III) si 5.) *ipsum ius hereditatis* persequitur, hereditatis petitio & actio ex lege Aquilia (§. X. lit. i.)

§. XIII.

Actor, qui *ius personale in genere immediate ex lege* & *ex facto licito*, cuius capita alibi (Sect. I. membr. III. §. VIII. num. i. ad g) recensuimus, persequitur in iudicio, sequentes inueniet successiue concurrentes 1) ob *ius immediate ex lege ortum* competere nulli dubitamus actio ad exhibendum, cum qua concurrunt *condictio furtiua* & actio furti (XI. lit. β) 2) si *obligatio ex facto obligatorio* vel alia orta competit actio de sorte principali & de constituta pecunia (§. III.) 3) ob *paetum vestitum praetorium constitutum* actio de constituta pecunia & sorte principali concurrunt (§. cit.) Si *contractus consensualis* 4) *emtionis venditionis* celebratus, actio *emti venditi* & *ex stipulatu* locum inuenire potest. (§. X. lit. k) Si 5.) *societas* constituta est, haud denegatur suis sub limitationibus, actio pro socio & de communi diuidendo (§. V.) vltterius prior cum actione legis Aquiliae (§. VII. num. 3) & actio pro socio & ex stipulatu (§. X. lit. λ) propter *contractum realem* 6) *commodati* concurrunt suo modo actio commodati & legis Aquiliae

liae (§. VII. num. 2.) & 7) *depositionis* concurrere posse actionem depositi & ex lege Aquilia (§. VII. n. i.) docuimus.

§. XV.

Finem facio cum actionibus, quae *ex facto illicito* oriuntur (Sect. I. membr. II. §. 10. ad 19.) quatenus earum concursum successivum hactenus recensimus. Hac ratione 1) *ex delicto in genere* saepe concurrunt actio de pauperie & aedilitia in duplum (§. VIII. lit. γ) 2) *ob verum delictum in genere* competunt suis sublimitibus conditio ob turpem causam & actio de calumnia (§. VII. num. 4.) etiam actio aedilitia poenalis & de pauperie (§. XI. lit. α.) 3) *ob furtum* plures concurrentes constant puta actio furti nec manifesti & vi bonorum raptorum (§. VIII. lit. δ.) porro actio arborum furtim caesarum ex LL XII. Tab. ex lege Aquilia, interdictum quod vi aut clam & ex LL XII. Tab. ad XXV. asses. (§. VIII. lit. η.) Item ex furto haud semper denegatur conditio furtiva cum actione vi bonorum raptorum, (§. X. lit. μ.) neque non eadem conditio & actio ex lege Aquilia (§. X. lit. ν.) denique ex eodem delicto semper concurrunt conditio furtiva & actio furti. (§. XI. lit. β.) Occasione 4) *rapinae* haud deficiunt concurrentes actiones, qualis actio vi bonorum raptorum & furti nec manifesti (§. VIII. lit. θ.) prior & actio ex lege Aquilia (§. VIII. lit. ε.) interdictum quod vi aut clam cum aliis supra (§. VIII. lit. η.) enumeratis & actio vi bonorum raptorum cum condicione furtiva. (§. X. lit. μ.) frequentes concurrunt actiones 5) *ob damnum iniuria datum.* Huc pertinet actio ex capite primo legis Aquiliae & ex capite tertio (§. VI.) & actio ex lege Aquilia cum variis aliis remediis (§. VII. num. 1. 2. & 3. §. VIII. lit. ε. §. VIII. lit. ζ. & η. §. X. lit. θ. λ. & ν.) Denique 6) *ob iniuriam* successive nonnunquam concurrunt actio iniuriarum & ex lege Aquilia. (§. VIII. lit. ζ.)










Jena, Diss., 1753



5b.





B.I.G.

Farbkarte #13

~~410~~  
1753,16  
1640  
21  
/

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
ACTIONVM CONCVRSV  
SVCCESSIVO

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO  
ERN. AVG. CONSTANTINO  
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE  
MONTIVM ANGARIAE ET WESTPHALIAE REL.  
CONSENSV ILLVSTRIS FACVLTATIS  
IVRIDICAE

SVB PRAESIDIO  
ACHAT. LVDOVICI CAROLI SCHMIDII  
IVRIS VTRIVSQVE DOCTORIS  
DIE XI. MENSIS AVGVSTI A. O. R. 1804  
ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
ERN. CHRISTIANVS AVGVSTVS SCHEVERMANN.  
MOENO WERTHEMIENSIS, IVRIS CVLTOR.

IENA E, LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

